

SIDONIUS EPISCOPVS MOGVNTINVS.



Sidonius vir insigniter doctus, Moguntiae Christum prædicauit, & Ecclesiam in uera fide ibidem instituit, eo nimis tempore cum Iustinianus & Belisario duce in Italia cum Gothis bellum gessit, & Chilbertus Francorum regnum admissit, anno Christi circiter 540. Vnde Fortunatus eum libro nono mirum in modum extollit, ita scribens:

Reddit a ne doleas felix Moguntia casus  
Antistes rediit qui tibi ferret opem,  
Porriget ecce manum genitor Sidonius urbi  
Quo renouante loco prisca ruina perit.

Item:

Te uigili custode lupus non diripit agnos

Te pascente gregem, non ouis ulla perit.

Te doctrina probum, prouidentia sacra modestum

Fecit, & eloquio, uincere mella tuo.

Hinc certe credibile eundem Sidonium ex ruinis reparasse ecclesiam Moguntiae, quam antea Hunni, duce Atilla flagello Dei, penitus destruxerant, & cum alijs Germaniae locis quasi solo æquarant. Hist. Eccles. Cent. 6. cap. 10.